


℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me.
℟. Quóniam non gaudébit inimícus méus super me.

## AD MISSAM.

(M.M. ♪ = 152.)



### Oratio.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum praeparásti : † quaésumus ; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui praevísa, eam ab omni labe praeservásti, * nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum.

### Lectio libri Sapientiae. *Prov. 8. c.*

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar : adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terrae. Quando praeparábat caelos, áderam : quando certa lege et gyro vallábat abýssos : quando aéthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum : quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos ; quando appendébat fundaménta terrae. Cum eo eram cuncta compónens : et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum, et delíciae meae esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo fílii, audíte me : Beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.






✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 1. c.*

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaéae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit : Ave, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus.

Credo *per totam Octavam.*

(M.M. 𝅘𝅥𝅮 = 144.)

Offert. 8. (*sol-do*)




### Secreta.

Salutárem hóstiam, quam in solemnitáte Immaculátae Conceptiónis beátae Vírginis Mariae tibi, Dómine, offérimus, súscipe et praesta : ut sicut illam, tua grátia praeveniénte, ab omni labe immúnem profitémur; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. Per Dóminum.

(M.M. 𝅘𝅥𝅮 = 160.)

Comm. 8. (*sol-do*)



### Postcommunio.

SAcraménta quae súmpsimus, Dómine Deus noster, illíus in nobis culpae vúlnera réparent; a qua Immaculátam beátae Maríae Conceptiónem singuláriter praeservásti. Per Dóminum.

## AD SEXTAM.

*Ant.* Tu glória Jerúsalem. 1205.

### Capitulum. *Ezech. 44.*

POrta haec clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, † quóniam Dóminus Deus Israel ingréssus est per eam : erítque clausa Príncipi. * Princeps ipse sedébit in ea.




℣. Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me.
℟. Nec delectásti inimícos méos super me.

## AD NONAM.

*Ant.* Tráhe nos. 1206.

### Capitulum. *Apoc. 12.*

SIgnum magnum appáruit in caelo : † Múlier amicta sole, et luna sub pédibus ejus, * et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.




℣. Immaculáta Concéptio túa, Dei Génitrix Virgo.
℟. Gáudium annuntiávit univérso múndo.

## IN II. VESPERIS.

*Psalmi.* 1. Dixit Dóminus. 1. g². 141. — 2. Laudáte púeri. 8. G. 161. — 3. Lactátus sum. 8. c. 179. — 4. Nisi Dóminus. 7. a. 182. — 5. Láuda Jerúsalem. 3. a². 196.



5. Ant.
3. a 2
(*mi-do*)



Trá- he nos * Vírgo imma-cu-lá- ta, post te cur-



ré- mus in o-dó- rem unguentó- rum tu- ó- rum.



E u o u a e.

**Capitulum.** *Prov. 8. c.*

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. † Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. * Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram.

*Hymnus.* Ave máris stélla. 1074.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sánctae Maríæ Vírginis.
℟. Quae serpéntis cáput virgíneo péde contrívit.

Ad Magnif.
Ant. 1. f
(*ré-la*)



Hó- di e * e-gréssa est vírga de ra-



dí- ce Jés- se : hó-di- e si-ne úl-la peccá-ti lá-be



concé- pta est Ma- rí- a : hó- di- e con-trí- tum



est ab é- a cá- put serpén- tis antí- qui, al- le-



lú- ia. E u o u a e.

*Cant.* Magníficat. 1. f. 199, *vel* 205.
*Oratio.* Deus, qui per Immaculátam. 1201.
*Et fit commemoratio Feriae,* 1207.

# COMMEMORATIO FERIAE

## IN VESPERIS CONCEPTIONIS IMMACULATAE B. M. V.

## Infra Hebdomadam I. Adventus.

### Feria V.

Ant. 4. (*la-ré*)



Exspectá-bo Dómi- num * Salva-tó- rem mé- um,



et praesto-lá-bor é- um, dum propre est, al-le-lú- ia.

℣. Roráte caéli désuper, et núbes plúant jústum.
℟. Aperiátur térra et gérminet Salvatórem.
*Oratio de Dominica praecedenti.*

### Feria VI.

Ant. 4. (*la-ré*)



Ex Aegý- pto * vo-cá- vi Fí- li- um mé- um :



vé-ni- et ut sál- vet pó- pu-lum sú- um.

### Sabbato.

Ant. 7. (*sol-ré*)



Vé-ni Dómi- ne * vi-si-tá-re nos in pá-ce, ut



lae- témur co-ram te cór- de perfécto.

## Infra Hebdomadam II. Adventus.

### Feria II.

Ant. 4. (*la-ré*)



Ecce Rex véni- et * Dó- mi-nus térrae, et ípse



áufe-ret jú- gum capti-vi-tá- tis nóstrae.

Feria III.

Ant. 5. (*fa-do*)



Vox clamán-tis * in de-sér- to : Pa-rá- te ví- am



Dó- mi-ni, ré- ctas fá-ci- te sémi- tas Dé- i nóstri.

Feria IV.

Ant. 4. (*la-ré*)



Sí- on * re- no- vá-be- ris, et vi-dé- bis jústum



tú- um, qui véntú- rus est in te.

Feria V.

Ant. 4. (*la-ré*)



Qui post me vé- nit * ante me fáctus est : cú-jus



non sum dí-gnus calce- aménta sólve-re.

---

## 10. S. Melchiadis Papae et Martyris.

### Oratio.

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : * et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Melchiadis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

*Secreta et Postcommunio e Missa* Státuit. *de uno Martyre Pontifice*, 934.

---

## 11. S. Damasi I. Papae, Confessoris. *Semid.*

### Oratio.

EXáudi Dómine preces nostras : † et interveniénte beáto Dámaso Confessóre tuo atque Pontífice, * indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum nostrum.

### Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátae plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis percepisse de tribulatióne cognóscit auxílium. Per Dóminum.

### Postcommunio.

DA, quaésumus, Dómine, fidélibus pópulis Sanctórum tuórum semper veneratióne laetári : et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

## 13. S. Luciae Virginis et Martyris. *Duplex.*

### In I. Vesperis.




℣. Spécie túa et pulchritúdine túa.
℟. Inténde, próspere procéde et régna.

### AD MISSAM.

*Introitus.* Dilexísti. 1037.

### Oratio.

EXáudi nos, Deus salutáris noster : † ut sicut de beátae Lúciae Vírginis et Mártyris tuae festivitáte gaudémus ; * ita piae devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

*Epistola.* Qui gloriátur. 1037. — *Graduale.* Dilexísti. 1026.






*Evangelium.* Simile est regnum caelórum thesáuro. 1035.
*Dicitur* Credo *ratione Octavae.*
*Offertorium.* Afferéntur. 1030. — *Secreta.* Accépta tibi sit. 1041.
*Communio.* Príncipes. 1052. — *Postcommunio.* Satiásti. 1041.

### In II. Vesperis.

Ant. 7. (*sol-ré*)




℣. Diffúsa est grátia in lábijs túis.
℟. Proptérea benedíxit te Déus in aetérnum.

## 15. Octava Concept. Immac. B. M. V. *Dupl. maj.*

*Omnia ut in Festo,* 1199.

## 16. S. Eusebii Episcopi et Martyris. *Semid.*

### Oratio.

Deus, qui nos beáti Eusébii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas : † concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, * de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

*Secreta et Postcommunio e Missa* Sacerdótes Dei. 938.

## 21. SANCTI THOMAE APOSTOLI.

*Duplex II. Classis.*

*In Vesperis omnia de Communi Apostolorum*, 915, *praeter :*

### In I. et II. Vesperis, ad Magnificat.

Ant. 8. G (*sol-do*)



Qui- a vi-dí-sti me, * Thóma, cre- di- dí- sti :



be- á-ti qui non vi-dé-runt, et cre-di-dé-runt, al-le-lú- ia.



E u o u a e.

*Cant.* Magníficat. 8. G. 204, *vel* 210.

### AD MISSAM.

*Introitus.* Mihi autem nimis. 1190.

**Oratio.**

DA nobis, quaésumus Dómine, beáti Apóstoli tui Thomae solemnitátibus gloriári : † ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, * et fidem cóngrua devotióne sectémur. Per Dóminum.

**Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios.** *Ephes. 2. d.*

FRatres : Jam non estis hóspites et ádvenae; sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superaedificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu : in quo omnis aedificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

(M.M. ♪ = 152.)

Grad. 2. (*la-do*)



Ni- mis * ho-no-rá- ti sunt amí-



ci tú- i, Dé- us : ni-



mis confortá- tus est


prin-ci- pá- tus e- ó- rum.
℣. Di-nume- rá-bo é-
os : et
su- per a- ré- nam
* multi- pli- ca- bún- tur.
(M.M. ♪ = 160.)
4.
(mi-la)
Al- le- lú- ia. * ij.
℣. Gau- dé- te jú- sti in
Dó- mi- no : ré- ctos
dé- cet * col- lau-
dá- ti- o.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joann. 20. f.*

IN illo témpore : Thomas, unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli : Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis : Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, et mittam dígitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus jánuis clausis, et stetit in médio, et dixit : Pax vobis. Deínde dicit Thomae : Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incrédulus, sed fidélis. Respóndit Thomas, et dixit ei : Dóminus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus : Quia vidísti me, Thoma, credidísti : Beáti qui non vidérunt, et credidérunt. Credo.

(M.M. ♪ = 144.)




Secreta.

DEbitum tibi, Dómine, nostrae rédimus servitútis, suppliciter exorántes : ut suffrágiis beáti Thomae Apóstoli, in nobis tua múnera tueáris, cujus honoránda confessióne laudis tibi hóstias immolámus. Per Dóminum.

*Praefatio de Apostolis*, 8.

(M.M. ♪ = 160.)



### Postcommunio.

ADésto nobis, míséricors Deus : et, intercedénte pro nobis beáto Thoma Apóstolo; tua circa nos propitiátus dona custódi. Per Dóminum.

## FESTA JANUARII.

### 14. S. Hilarii Episcopi, Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*

*In I. et II. Vesperis, ad Magnif. Ant.* O Dóctor ... beáte Hilári. 997.

**Missa.** In médio. 998.

### Oratio.

DEus, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Hilárium minístrum tribuísti : † praesta quaésumus; ut quem Doctórem vitae habúimus in terris, * intercessórem habére mereámur in caelis. Per Dóminum.

*Commemoratio* **S. Felicis Presbyteri et Mart.**

### Oratio.

COncéde, quaésumus, omnípotens Deus : * ut ad meliórem vitam, sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

### Secreta.

HOstias tibi, Dómine, beáti Felicis Mártyris tui dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum.

### Postcommunio.

QUaésumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis : ut beáti Felícis Mártyris tui, cujus solémnia celebrámus, oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

---

### 15. S. Pauli Primi Eremitae, Confessoris. *Duplex.*

AD MISSAM.

*Introitus.* Jústus ut pálma. 1013.

### Oratio.

DEus, qui nos beáti Pauli Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas : † concéde propítius : ut cujus natalítia cólimus, * étiam actiónes imitémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

*Commemoratio* **S. Mauri Abbatis.**

### Oratio.

INtercéssio nos, quaésumus Dómine, beáti Mauri Abbátis comméndet : * ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

### Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Philippenses. *Phil. 3.*

FRatres : Quæ mihi fuérunt lucra, haec arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei : propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu : quae ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus : configurátus morti ejus : si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quae est ex mórtuis : non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim : sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

*Graduale.* Jústus ut pálma. 1010.

Allelúia, allelúia. ℣. Jústus germinábit. 1001.

*Post Septuagesimam, omissis* Allelúia *et* ℣. *sequenti, dicitur Tractus* Beátus vir. 936.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. *Matth. 11.*

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

*Offertorium.* In virtúte túa. 1015. — *Secreta.* Laus tibi. 1012.

*Pro S. Mauro. Secreta.* Sacris altáribus. 1019.

*Communio.* Laetábitur. 954. *sine* Allelúia *in fine.*

*Postcommunio.* Reflécti cibo. 1013.

*Pro S. Mauro. Postcommunio.* Prótegat nos. 1019.

---

## 16. S. Marcelli I. Papae, Martyris. *Semid.*

### Oratio.

PReces pópuli tui, quaésumus Dómine, cleménter exáudi : † ut beáti Marcélli, Mártyris tui atque Pontíficis, méritis adjuvémur, * cujus passióne laetámur. Per Dóminum.

### Secreta.

SUscipe, quaésumus Dómine, múnera dignánter obláta : et, beáti Marcélli Mártyris tui atque Pontíficis suffragántibus méritis, ad nostrae salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

### Postcommunio.

SAtiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quaésumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

---

## 17. S. Antonii Abbatis. *Duplex.*

**Missa.** Os jústi. *de Communi Abbatum,* 1009, *excepto Evangelio* Sint lumbi vestri. 1012.

### Oratio.

INtercéssio nos, quaésumus Dómine, beáti Antónii Abbátis comméndet : † ut quod nostris méritis non valémus, * ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

---

## 18. Cathedrae S. Petri, qua Romae primum sedit. *Dupl. maj.*

### In 1. Vesperis.

Ant. 1. (*ré-la*)






℣. Tu es Pétrus.
℟. Et super hanc pétram aedificábo Ecclésiam méam.

*Oratio.* Deus qui beáto Petro. *ut infra.*

*Deinde fit commem. S. Pauli ante alias quascumque commemorationes. Quod et servatur in commem. S. Petri, quae fit in Festis S. Pauli.*

*Pro commem. S. Pauli Ap. Ant.* Sáncte Páule. **1235.** ℣. Tu es vas. *Oratio.* Deus qui multitúdinem. *ut infra.*

*Postea fit commemoratio S. Priscae Virg. et Mart. Ant.* Véni spónsa. 1019. ℣. Spécie túa. *Oratio.* Da quaésumus. *ut infra.*

## AD MISSAM.

*Introitus.* Státuit. 989.

### Oratio.

DEus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni caeléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti : † concéde; ut intercessiónis ejus auxílio, * a peccatórum nostrórum néxibus liberémur : Qui vivis.

### Pro commemoratione S. Pauli. Oratio.

DEus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli praedicatióne docuísti : * da nobis, quaésumus; ut cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus.

### Pro commem. S. Priscae, Virginis et Martyris. Oratio.

DA, quaésumus, omnípotens Deus : * ut qui beátae Priscae Vírginis et Mártyris tuae natalítia cólimus; et ánnua solemnitáte laetémur, et tantae fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

### Lectio Epistolae beati Petri Apostoli. *1. Petr. 1.*

PEtrus Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiae, Cappadóciae, Asiae, et Bithýniae, secúndum praesciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam et aspersiónem sánguinis Jesu Christi : grátia vobis, et pax multiplicétur. Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in haereditátem incorruptíbilem, et incontaminátam, et immarcescíbilem, conservátam in caelis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus : ut probátio vestrae fídei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem, in revelatióne Jesu Christi Dómini nostri.


(M.M. ♪ = 152.)
Grad. 5. (fa-do)
Exál- tent é- um * in ecclé-
si- a plé- bis: et in cá-the-
dra se-ni- ó-
rum láu-dent é- um.
℣. Confi-te- án-
tur Dómi-no
mi-se-ri- cór-di- ae
é- jus:
et mi- ra-bí- li- a é- jus
fí- li- is * hó- mi- num.




*Post Septuagesimam, omissis* Allelúia *et* ℣. *sequenti, dicitur :*






*Evangelium.* Venit Jesus. *ut in Festo SS. Petri et Pauli.*




### Secreta.

Ecclésiae tuae, quaésumus Dómine, preces et hóstias beáti Petri Apóstoli comméndet orátio : ut quod pro illíus glória celebrámus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

*Pro S. Pauli. Secreta.* Apóstoli tui Pauli. 1232.

### Pro S. Priscae. Secreta.

Haec hóstia, quaésumus Dómine, quam sanctórum tuórum natalítia recenséntes offérimus, et víncula nostrae pravitátis absólvat, et tuae nobis misericórdiae dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

*Praefatio de Apostolis*, 8.

*Communio.* Tu es Petrus. *ut in Festo SS. Petri et Pauli.*

### Postcommunio.

LAetíficet nos, Dómine, munus oblátum: ut sicut in Apóstolo tuo Petro te mirábilem praedicámus; sic per illum tuae sumámus indulgéntiae largitátem. Per Dóminum.

*Pro S. Paulo. Postcommunio.* Sanctificáti. 1232.

### Pro S. Prisca. Postcommunio.

QUaésumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut cujus solémnia celebrámus, ejus oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

### IN II. VESPERIS.

*Ant.* Dum ésset súmmus Póntifex. 988.

℣. Elégit te Dóminus sacerdótem sibi.

℟. Ad sacrificándum ei hóstiam láudis.

*Deinde fit commemoratio S. Pauli Apostoli, ut supra*, 1216.

---

## 19. SS. Marii, Marthae, Audifacis et Abachum Mart. *Simpl.*

### Oratio.

EXáudi Dómine pópulum tuum cum sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: † ut et temporális vitae nos tríbuas pace gaudére, * et aetérnae reperíre subsídium. Per Dóminum.

### Secreta.

PReces, Dómine, tuórum réspice oblationésque fidélium: ut et tibi grata sint pro tuórum festivitáte sanctórum, et nobis cónferant tuae propitiatiónis auxílium. Per Dóminum.

### Postcommunio.

SAnctórum tuórum, Dómine, intercessióne placátus: praesta, quaésumus; ut, quae temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum nostrum.

## *Eadem die.* Commemoratio S. Canuti Regis et Mart.

### Oratio.

DEus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam, beátum Canútum regem martýrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: * concéde propítius; ut, sicut ipse Domínicae passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per eúmdem Dóminum.

*Secreta et Postcommunio e Missa* In virtúte. 941.

---

## 20. SS. Fabiani Papae et Sebastiani Martyrum. *Duplex.*

### AD MISSAM.

*Introitus.* Intret. 968.

### Oratio.

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: † et quia pondus própriae actiónis gravat, * beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. *Hebr. 11.*

FRatres : Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum : accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos : álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem : álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres : lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt : circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus : in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terrae. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

*Graduale.* Gloriósus. 969.




*Post Septuagesimam, omissis* Allelúia *et* ℣. *sequenti, dicitur Tractus* Qui séminant. 971.

*Evangelium.* Descéndens Jesus de monte. 976.




## Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.






### Postcommunio.

Reflécti participatióne múneris sacri, quaésumus Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Fabiáno et Sebastiáno, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

## 21. S. Agnetis Virginis et Martyris. *Duplex.*

### IN I. VESPERIS.




℣. Spécie túa et pulchritúdine túa.
℟. Inténde, próspere procéde, et régna.

## AD MISSAM.

*Introitus.* Me exspectavérunt. 1031.

### Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quaeque confúndas : † concéde propítius ; ut, qui beátae Agnétis Vírginis et Mártyris tuae solémnia cólimus, * ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

*Epistola.* Confitébor tibi. 1025. — *Graduale.* Diffúsa est. 1054.




*Post Septuagesimam, omissis* Allelúia *et* ℣. *sequenti, dicitur Tractus* Véni spónsa Christi. 1027.

*Evangelium.* Símile erit regnum caelórum decem. 1029.

*Offertorium.* Afferéntur. 1030.

### Secreta.

Hostias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius súscipe : et intercedénte beáta Agnéte Vírgine et Mártyre tua, víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

*Communio.* Quinque prudéntes. 1041.

### Postcommunio.

Refécti cibo potúque caelésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut, in cujus haec commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dñum.

### IN II. VESPERIS.

Ant. 1. (*ré-la*)




℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

---

## 22. SS. Vincentii et Anastasii Mart. *Semid.*

### Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : † ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, * beatórum Mártyrum tuórum Vincéntii et Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum.

### Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostrae devotiónis offérimus : quae et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

### Postcommunio.

Quaésumus, omnípotens Deus : ut qui caeléstia aliménta percépimus, intercedéntibus beátis Martýribus tuis Vincéntio et Anastásio, per haec contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

## 23. S. Raymundi de Pennafort Conf. *Semid.*

### Oratio.

DEus, qui beátum Raymúndum paeniténtiae Sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : † concéde; ut ejus intercessióne dignos paeniténtiae fructus fácere, * et ad aetérnae salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

*Secreta et Postcommunio e Missa* Os jústi. 1012.

*Pro commemoratione* **S. Emerentianae Virginis et Martyris.**

### Oratio.

INdulgéntiam nobis, quaésumus Dómine, beáta Emerentiána Virgo et Martyr implóret; * quae tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dóminum.

*Secreta et Postcommunio e Missa* Me exspectavérunt. 1036.

---

## 24. S. Timothei Episcopi et Martyris. *Duplex.*

**Missa.** Státuit. 931, *praeter :*

### Oratio.

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : † et quia pondus própriae actiónis gravat, * beáti Timóthei Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

**Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Timotheum.** *1. Tim. 6.*

CArissime : Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam aetérnam, in qua vocátus es, et conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. Praecípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, et Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto, bonam confessiónem : ut serves mandátum sine mácula, irreprehensíbile usque in advéntum Dómini nostri Jesu Christi, quem suis tempóribus osténdet beátus et solus potens, Rex regum, et Dóminus dominántium : qui solus habet immortalitátem, et lucem inhábitat inaccessíbilem : quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest : cui honor et impérium sempitérnum. Amen.

---

## 25. In Conversione S. Pauli, Apostoli.

*Duplex majus.*

### IN I. VESPERIS.

*Psalmi.* 1. Dixit Dóminus. 8. G. 145. — 2. Confitébor. 8. G. 150. — 3. Beátus vir. 4. A. 154. — 4. Laudáte púeri. 8. G. 161. — 5. Laudáte Dóminum. 8. G. 175.

*Antiphonae, Capitulum et Hymnus ut in II. Vesperis.*

℣. Tu es vas electiónis, sáncte Páule Apóstole.
℟. Praedicátor veritátis in univérso múndo.

Ad Magnif. Ant. 7. a (*sol-ré*)






*Cant.* Magníficat. 7. a. 203, *vel* 209. — *Oratio.* Deus qui univérsum. *ut infra.*
*Commem. S. Petri. Ant.* Tu es pástor. 1215. ℣. Tu es Pétrus. 1216.
*Oratio.* Deus, qui beáto Petro. 1216.

## AD MISSAM.

(M.M. ♪ = 152.)




### Oratio.

Deus, qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli praedicatióne docuísti : da nobis, quaésumus; ut, qui ejus hódie Conversiónem cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

*Et fit commem. de S. Petro Apostolo. Oratio.* Deus qui beáto Petro. 1216.

## Lectio Actuum Apostolorum. *Act. 9.*

In diébus illis : Saulus adhuc spirans minárum et caedis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut si quos invenísset hujus viae viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cum iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damásco : et súbito circumfúlsit eum lux de caelo. Et cadens in terram, audívit vocem dicéntem sibi : Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit : Quis es, Dómine? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu perséqueris. Durum est tibi contra stímulum calcitráre. Et tremens ac stupens, dixit : Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum : Surge, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra, apertísque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit, neque bibit. Erat autem quidam discípulus Damásci, nómine Ananías : et dixit ad illum in visu Dóminus : Ananía. At ille ait : Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum : Surge, et vade in vicum qui vocátur Rectus, et quaere in domo Judae Saulum nómine Tarsénsem : ecce enim orat. (Et vidit virum, Ananíam nómine, introeúntem et imponéntem sibi manus, ut visum recípiat.) Respóndit autem Ananías : Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem; et hic habet potestátem a princípibus sacerdótum alligándi omnes qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus : Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus, et régibus, et fíliis Israel. Ego enim osténdam illi, quanta opórteat eum pro nómine meo pati. Et ábiit Ananías, et introívit in domum : et impónens ei manus, dixit : Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via, qua veniébas, ut vídeas, et impleáris Spíritu Sancto. Et conféstim cecidérunt ab óculis ejus tamquam squamae, et visum recépit : et surgens baptizátus est. Et cum accepísset cibum, confortátus est. Fuit autem cum discípulis qui erant Damásci, per dies áliquot. Et contínuo in synagógis praedicábat Jesum, quóniam hic est Fílius Dei. Stupébant autem omnes qui audiébant, et dicébant : Nonne hic est, qui expugnábat in Jerúsalem eos qui invocábant nomen istud : et huc ad hoc venit, ut vinctos illos dúceret ad príncipes sacerdótum? Saulus autem multo magis convalescébat, et confundébat Judaéos qui habitábant Damásci, affírmans quóniam hic est Christus.

(M.M. ♪ = 152.)

Grad. 5. (*fa-do*)




am Dé- i, quae dá- ta est mí-
hi. ℣. Grá- ti- a Dé-
i in me vá-cu-
a non fú- it : sed
grá- ti- a é- jus semper in me * má-
net.
(M.M. ♪ = 160.)
2.
(ré-fa)
Al-le- lú- ia. * ij.
℣. Má-gnus sánctus Páu- lus,
vas e-le- cti- ó- nis,




*Post Septuagesimam, omissis* Allelúia *et* ℣. *sequenti, dicitur :*






*Evangelium.* Dixit Petrus. 1018. *Et dicitur* Credo.
*Offertorium.* Mihi autem. 1192.

### Secreta.

Apóstoli tui Pauli précibus, Dómine, plebis tuae dona sanctífica : ut quae tibi tuo grata sunt institúto, gratióra fiant patrocínio supplicántis. Per Dñum.

*Pro S. Petro. Secreta.* Ecclésiae tuae. 1220.
*Praefatio de Apostolis*, 8.
*Communio.* Amen dico vobis. 1015.

### Postcommunio.

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério, quaésumus : ut nobis ejus non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

*Pro S. Petro. Postcommunio.* Laetíficet nos. 1221.

## IN II. VESPERIS.

*Psalmi.* 1. Díxit Dóminus. 8. G. 145. — 2. Laudáte púeri. 8. G. 161. — 3. Crédidi. 4. A. 171. — 4. In converténdo. 8. G. 180. — 5. Dómine probásti me. 8. G. 193.









**Capitulum.** *Act. 9.*

SAulus adhuc spirans minárum et caedis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, † et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas : * ut si quos invenísset hujus viae viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem.

